


05

A

2061





39

DISSERTATIO PHYSICA

De

MATERIA CORPORUM NATURALIUM.

Quam

Auxiliante divini Numinis gratia,

Sub Presidio

VIRI

Amplissimi atq; Excellentissimi

Dn. M. JOHANNIS Sperlings /
PHYSICÆ PROFESSORIS PUBLICI
CELEBERRIMI,

Dn. Præceptoris ac Promotoris sui omni ob-
servantiæ cultu ætatem colendi,

Publicè eruditorum examini

subjicit

OTTHO FLORUS, Holsatus.

A. & R.

In Aroaterio Majori ad diem 7. Julii
horis matutinis.

WITTEBERGÆ

Literis exscribent Johannes Röhnerus, Acad. Typogr.
M. DC. LII.

71.

17



DISSERTATIO PHYSICA
DE
MATERIA COR-
PORUM NATURA
LUM.

Auxiliante divini Numinis gratia

Sub Praesidio
V. R. I.
Austriacae et Hungaricae



Dr. M. JOHANNES
PHYSICAE PRAEFECTUS PUBLICI

Dr. Theophrastus Bombardieri in omni ob-

jectis
1792 A 50
Publici studii in examina

OTTO FLORENZ HOLLERUS

A. R.

In Academia Martii ad hunc diem

LIBERARIUS
Hic est exemplar legitimum Johannis Florentii Holler.

71.

13





Προάυλιον.



Si nulla fermè res in toto reperitur orbe, de quâ omnes omninò unum idemq; sentiant: cum ubiq; illud Comici: quot homines, tot sententia, obtineat. Praeter ceteris tamen, nescio quomodo, res physica dum hanc & deplorandam patiantur sortem. De his enim vix duos reperias, qui inter se conveniant: siquidem plerumq; alter affirmat, quod alter negat: negat, quod affirmat, nec à præconceptâ opinione, se dimoveri patitur, si vel maximè se errasse non obscure colligere, sed, ut ita dicam, manibus palpare possit. Hinc tot disceptationes, tot contentiones, quas (nisi me animus fallit) nemo facile composuerit, etiamsi eloquentiâ Cicero nem: sapientiâ verò rerumq; notitiâ Platonem, Senecam aliosq; viros in omni genere eruditionis versatissimos antecederet. Testatur hoc ipsum tota doctrina physica. Exemplo, ne longius abeam, sit vel sola materia. De hac quàm diversa hominum sunt judicia! quàm diverse opiniones! Cum autem veritas non nisi una sit, eandem cum paucis potius sectari, quàm cum multis falsimoniis adherere decet. Atq; hoc animo etiam in presentiarum, quanam verissima & simplicissima de hac ipsâ materia sit sententia, si non perfectè explicare, (quod sperare haud licet,) saltè aliquâ ex parte pro ingenii modo ac modulo declarare conabimur. Duabus autem partibus tota nostra absolvetur disputatio, quarum prior aliorum, posterior verò nostram proponet sententiam. Jova Jova!

SECTIO PRIOR.

Aliorum exhibens sententiam.

TIT. I. in quo eadem proponitur.

ARTIC. I. An sit?

Omniùm primùm, ut eò melius ipsorum mentem percipiamus, notanda est distinctio, quâ materiam in primam & se-

eundam dividunt. Hæc enim est fundamentum, cui tota eorum doctrina, tanquam firmisimæ basi, innititur. De secundâ, quam modò corpus, modò formam esse ajunt, parum sunt solliciti: de primâ verò multa admodum verba faciunt, eamq; pro vero & genuino corp. natur. principio venditare laborant. De hac itaq; nobis etiam in posterum dicendum erit, videndūq; utrum talis materia in verum naturâ sit, nec ne. Equidem duplex ejusdem consideratio institui posset, absoluta & respectiva: absoluta quat. ens esse putatur: respectiva quat. corporū naturalium principium. Vid. Casum in l. i. phys. Arist. c. 8. & 9. Sed nos licetâ priori, quippe quæ ad forū Metaphysicū potius spectat, quàm ad physicum, posteriorem hac vice nostram faciemus, in quâ tamen pleraq; quæ ad illius essentiam explicandam afferri solent, occurrent. Ut igitur modum in omnibus ferè controversiis usitatum: Toleti etiam hac in parte (vid. Lib. I. Physic. c. 7. quæst. 12.) nec non Excellentiss. Dn. Præsidis (in Institut. Lib. I. c. 2. quæst. 1.) sequamur methodum; quid de quæstione $\tau\theta$ An sit in medium proferant, paucis præmittemus. Hic verò, ne de eo, quod in totâ rerum naturâ non datur, laborare videantur, varia interpretes confingunt Argumenta, quibus doctrinam suam confirmant. Conimbricenses in Lib. I. Phys. Arist. c. 9. q. i. art. i. quatuor ponunt rationes, ob quas illam necessariò dandam esse putant. Prima desumta est à transmutatione Elementorum, e.g. aquæ in ignem, ubi dicunt aliquod manere, quo servato ac superstita illa fiat conversio. De quâ etiam Scaliger ait, in Comment. in Lib. Hippii de insomniis, quod qui eam negant, nihil aliud norint, quam negare, in quibus plus inscitæ ac pertinaciæ agnoscas, quod evites: quàm sapientiæ & constantiæ, quod sequaris. Secunda ex generatione, quæ cum ex nihilo fieri non possit, aliquid requirat, quod prius extiterit, atq; hoc cum forma non sit, materiam esse dicunt. Tertia ab analogia summi rerum gradus. Quarta à compositione rerum, quippe quod alias in infinitum fieret progressus, nisi daretur subjectum, quod ex alio priori non sit, atq; adeò materiâ primâ, Toletus (in Lib. I. Phys. Arist. c. 7. quæst. 12. fol. 32.) sex proponit vias ad investigandam hanc materiam primam; ubi præter duas priores, quas

ex

ex Conimbricenfibus attulimus, & alias nonnullas rationes, imprimis urget augmentationem corporum naturalium, in quâ cum femper aliquid majus fiat, femper aliquid ut maneat neceffum eſſe putat, idque eſſe materiam primam. Piccolomineus ex Ariſt. c. 6. L. 1. Phyſ. text. 52 & 53. & c. 7. text. 68. inter alia ex principiorum contrarietate hanc quæſtionem vult probare, quâ poſitâ commune dicit requiri ſubjectum, quod modo ſub hoc ſit, modo ſub illo, unde concludit dari materiam primam. Alii alias afferunt rationes, quas, cum non ſint magni momenti, pluribus hic recensere operæ pretium non eſſe duco.

Artic. II. Quid ſit?

Diximus quibus fundamentis probare intendant τὸ an ſit, conſequens eſt, ut, quid de quæſtione & quid ſit ſtatuant, paucis etiam conſideremus. De hac autem licet ſibi parum conſtent, adeo quidem ut ipſimet ſuam confiteri ignorantiam neceſſe habeant, ſiquidem Conimbricenſes in cap. 9. Lib. 1. Phyſ. Ariſt. quæſt. 2. art. 2. expreſſè dicunt, materiam illam, ſicut tenebræ non videndo percipiuntur, & percipiendo non videantur: ita tunc percipi, cum in eâ nullus omnino actus cognoscitur, tunc ignorari cum actus apprehenditur: ex communi tamen definitione, quid de eâ ſentiant, cognoscere quodammodo poterimus. Ita autem illa habet. Materia eſt ſubjectum primum cujuſque rei, ex quo fit aliquid per ſe & non ſecundum accidens, & in quod ultimo aliquid reſolvitur. Vid. Conimbr. in cap. 9. Lib. 1. phyſ. quæſt. 2. art. 1. p. 103. Magirum Lib. 1. c. 2. & alios. Eſtque hæc deſcriptio deſumpta ex Lib. 1. phyſ. Ariſt. c. 9. par. 82. ubi ita ait. λέγω ὑλὴν πρῶτον ἀποκείμενον ἐκάσῳ ἐξ ἧς γίνεται πρὸς ἐπιπλάροντος μὴ κτ' συμβεβηκός. ἢ εἰς ἧς ἀφίξεται ἕχαπεν.

Ut autem rectius eandem ſecundum ipſorum mentem intelligamus, tum nominis diſtinctio, tum definitionis explicatio erit addenda. Nomen ſeu definitum quod attinet, ejus tum Homonymiam tum Synonymiam proponere ſolent.

Homonymiam variam esse dicunt. Sumi enim vocem materię i. pro materiã alterationis, sicut cibus est materia sanguinis: Elementa mixtorum. 2. Pro materiã compositionis, veluti lignum, lapides &c. sunt materia domus. 3. Pro materiã inhætionis, qualis substantia, cui inhærent accidentia. 4. Pro materiã scientię, quod etiam objectum, s. materiam circa quam dicimus, & denique 5. pro materiã, quę mutationis substantialis sit subjectum, quę sub diversis formis modò sub hac, modò sub alterã in mutatione inveniatur substantiali, quam postremam hoc loco intelligunt. Vid. Toletum in Lib. i. phys. Aristot. c. 7. quęst. 12. fol. 32. Synonyma etiam afferunt quamplurima. Avicenna & Albertus, referente Tol. in Lib. i. phys. Arist. c. 7. quęst. 18. appellarunt eam Hylen, subjectum, massam, originem, elementum. Alii vocant primam potentiam entis: Vallem primę causę; umbram primę essentię: sinum, gremium aut receptaculum formarum: Speculum naturę &c. vid. Casum in Lib. i. Arist. c. 8. & 9. quęst. 3. p. 143. Dicitur etiam à quibusdam sylva, propter confusionem formarum: Dicitur mater, quod ex eã, tanquam ex matre procedant formę, dicitur foemina quod recipiens ab agente formam producat compositum. Dicitur turpe, quod secundum se careat formã, quę est pulchritudo, possitque per talem formam fieri pulchra: Denique dicitur etiam chaos & vacuum. Vid. Tol. d. l. & Piccol. l. i. de rerum materiã, ubi viginti quatuor ejusdem nomina recenset.

Definitio ipsa constat partim genere, partim differentia. Generis loco vox *subjecti* ponitur. Ubi non subjectum inhætionis, quale est substantia ratione accidentium: nec prædicationis, quod subjecti loco in propositione ponitur; nec operationis, seu tractationis, quod est objectum circa quod aliqua disciplina versatur & alias scientificum dicitur: nec denominationis, quod ab adjuncto suo denominatur: sed subjectum informationis intelligunt, quod scil. à forma informatur, & subjectum dicitur propterea, quod formę quasi subiaceat. Differentię loco verba sequentia posita sunt. Pri-

mum

mm itaque subjectum dicunt ad removenda omnia alia prio-
ra principia, vel ad excludenda subjecta accidentium, quæ ab-
solutè non sunt prima, cum adhuc ex alio fiant. Tolet. in cap. 7.
Phyf. Aristot. quæst. 13. fol. 33. Mag. l. 1. cap. 2. quæst. 2. *Uniuscu-*
jusq; rei subjectum vocant, quod tam elementa, quàm mixta ex
eadem oriantur. Vid. ib. *Ex ea aliquid fieri* dicunt, ad re-
movendas causas externas, efficientem, finalem & exempla-
rem, cum ex his res propriè non dicatur fieri, sed ab efficiente,
propter finem, ad exemplar. Con. in c. 9. Phyf. Aristot. quæst.
2. artic. 1. *Per se & non per accidens* ad excludendam priva-
tionem: licet enim privatio (ex illorum loquor sententia,))
sit principium per se generationis, non tamen ex illâ per se res
genita constat, sed per accidens, quatenus accidit materiæ, quæ
per se rem constituit. vid. Coll. Con. & Tol. d. 1. Denique &
illa verba adjiciunt: *quod in eam res ultimò resolvatur*, juxta
ipsorum canonem: quod primum est in generatione, ultimum
est in corruptione. vid. loca supra citata.

Præterea ut de essentiâ hujus materiæ rectius constet, in-
quonam ea consistat, quærunt. Hic 1. alii formæ carentiam
illius essentiæ, esse dicunt, sed à Scaligero in l. Arist. de plantis
fol. 16. improbantur. Non verum est, inquit, formarum caren-
tiam esse essentiæ materiæ primæ, cum sit privatio, hæc verò
cum sit nihil, entis causa nullo modo esse potest. Alii in potentiâ
ad formam recipiendam omnem ejus rationem consistere pu-
tant, in quâ sententiâ inter alios etiam sunt Conimbricenses,
(v. com. in c. 9. Phyf. Arist. quæst. 3. art. 1. ubi 1. ita concludunt.
Materia secundum se est pura potentia, quam assertionem tam
Peripateticæ quàm Platonice scholæ communem esse dicunt,
probantque eam, quod alias vel esset tantùm actus, vel aliquid
ex actu & potentia concretum, quorum neutrum esse possit.
2. Eorum conclusio est: Potentia est essentialis materiæ,
eamque tribus potissimum rationibus confirmare laborant,
quas, cui, libet, ibidem videre licet. Cum his Zabarella con-
sentire videtur dum, Materiam primam secundum se non ha-
bere actum dicit, l. 2. c. 1. & seqq. ubi prolixus admodum
est

est in recensenda & refutanda sententia Scoti, pro actu entitativo materiae pugnantis. In contrariam vero partem abeunt Toletus l. i. c. 7. quaest. 13. ubi rejecta aliorum opinione de esse materiae substantiali distinctas format conclusiones. Prima est: Materia non est substantia perfecta & completa secundum se, 2. Materia non est substantia imperfecta determinans. 3. Sed est substantia imperfecta & simplex, ad omnia composita & variis formis determinabilis, Vid. d. l. Adstipulantur huic Henricus Gandavensis & modo dictus Scotus. ille quod l. i. quaest. 10. Hic in Libr. 2. d. 12. quaest. 1. qui materiam actum entitativum dicendam esse contendunt, h. e. rem actu existentem. Themistius quoque & Averroes, annotante Toletus quaest. 14. in cap. 7. i. Phys. Aristot. ille digress. ult. i. physicorum, hic com. 69. & i. phys. quaest. 25. idem statuunt, quippe qui materiam in suo primo & essentiali conceptu non includere potentiam, sed hanc accidens quoddam ipsius esse dicunt. Ipse quoque Scaliger exerc. 359. n. 12. Conimbricensium sententiam rejicit, cum ait: Nullum adjunctum est forma sui subjecti, at potentia illa s. aptitudo ad formam recipiendam est adjunctum materiae, unde ejus forma esse non potest. Ex sua autem sententia ita procedit: Materiae primae, inquit, essentia, est perfectio ejus ut est aliquod ens substantiale, ab aliis separatum: sed est imperfectio ad ulteriora entia, ut per formarum receptionem perfici possit. Vid. Com. in l. Aristot. de plantis, fol. 16.

Artic. III. Qualis sit?

Sed mittamus quidditatem hujus principii, & qualis sit materia illa videamus. (1) Nonnulli eam ortus & interitus expertem esse censent, ex Aristot. text 82. Mag. l. i. Phys. c. 2. text. 20. (2.) eam ingenerabilem & incorruptibilem esse dicunt, per se scil. seu objective, hoc est, in generatione eam non accipere suum esse, nec in corruptione perdere. Vid. Tol. quaest. 16. Lib. I. Per accidens vero seu subjective eam esse generabilem

lem & corruptibilem: corruptibilem quidem, quod admittat privationem, quæ sit accidens cum eâ conjunctum. Generabilem verò, quod acquirat in se formam, quam non habebat, quæ tamen forma non sit ipsamet materia. Insuper (3) informem & tamen ad omnes formas recipiendasabilem & idoneam, earumque appetentem esse asserunt, ex Aristot. 1. phys. c. 7. text. 69. & cap. 9. text. 81. & 82. Mag. d. 1. & alii. Hunc verò appetitum nihil aliud esse dicunt Conimbricenses in cap. 9. 1. phys. quæst. 4. art. 1. quam ejusdem materiæ ad recipiendam formam inclinationem, quæ ipsi materiæ penitus insita sit, illamque respectu formæ, quam nondum possidet, appetitum desiderii, respectu ejus, quâ fruitur, appetitum complacentiæ vocari ajunt. Hoc autem non appetitu intellectivo, nec sensitivo, sed naturali eam præstare docet Toletus quæst. 17. in Libr. 1. Aristot. Reliqua, quæ hic magno numero cumulant, utpote de Quantitate, de potentia universali, & quæ alia, lubens præmitto. Primo enim intuitu ficta ac vana esse omnia, quilibet cordatus facilimè judicare poterit. Et hætenus de illorum opinione dictum fuit: jam porrò ut nostrum, (si quem in re tantâ locum mereretur,) subjungamus judicium, ratio ordinis postulare videtur.

Tit. II. In quo eadem rejicitur.

Artic. 1. Contradicientem exhibens Scripturam.

Etsi verò pro defendendâ hac sententiâ viri cætera doctissimi, tanquam pro aris & focus acriter usque desudarint: illorum tamen, qui κατ' ἀλήθειαν non κατ' ἀδρωπον philosophantur calculum mereri non videtur, quod ipsum multis, iisque firmis rationibus probari potest. Si enim primùm ad Scripturæ codicem nostros convertamus

oculos, tantum abest, ut quicquam pro stabiliendâ illorum
opinione asserat, ut potius contrarium ex ipsâ satis luculen-
ter demonstrari possit. Quod prius concernit, nemo sane,
licet vel maximè illam diurnâ nocturnaquæ manu vol-
vat atque revolvat, unicum afferet locum, ex quo pro tuen-
dâ affirmativâ firmum solidumquæ deduci possit argumen-
tum. Solent quidem etiam ad Scripturam S. provocare,
ex eademquæ quædam afferre loca, in quibus hoc suum fi-
gmentum fundari putant. Locum scilicet (1) Gen. i. v. i.
in quo terra dicitur inanis & vasta fuisse, ubi ipse quoque
Augustinus per terram materiam primam, per inanitatem
formæ carentiam intellexisse fertur. Vid. Mag. l. i. Phys. c.
2. quæst. 3. & Casum. in L. i. phys. Aristot. c. 8. quæst. 5. p. 147.
(2) producunt locum Sap. ii. v. 18. ubi hæc habentur verba.
Non infirma erat omnipotens manus tua, quæ creavit or-
bem terrarum ex materia invisâ (informi.) De quibus ver-
bis Masius Comment. in Lib. i. phys. Arist. c. 9. quæst. i. vehe-
menter sibi gratulatur, ex iisque tanquam omni ratione cer-
tioribus, se jam, quod intendebat, evicisse putat. Verum-
enimverò ex his ipsis dictis materiam illam primam com-
probare, ardua sanè videtur res esse. Nam quod ad ea lo-
ca in genere attinet, de corpore loquuntur, non autè de prin-
cipio materiali corporis. Et concedimus quidem ibidem
describi materiam aliquam primam, hoc est, primò omni-
um productam, ex quâ postmodum reliqua fuere facta:
sed talem, qualem hic volumus, nunquam exinde elicere po-
terunt: quod ex sequentibus patefcet. Non enim (1)
agitur in istis locis de materiâ constitutionis, de quâ nobis
jam sermo est, sed de materiâ productionis, de quâ nihil su-
mus solliciti: ex hac autem de illâ iudicium facere, absur-
dum foret; haud aliter ac si quis ex semine humano de
materiâ hominis constituti iudicaturus, ex eâ corpus huma-
num constare assereret. (2) Per terram non intelligi ma-
teriam primam; nec per inanitatem formæ carentiam ipsi
constentur Conimbricenses p. 107. & certè coguntur fate-
ri.

ri. Quid enim aliud, quàm rudis, crassa atque indigesta aliqua notatur materia, quæ primo die à Deo facta, & sequentibus magis magisque perfecta fuit, quæ licet penitus formam suam non caruerit, formam tamen certæ dispositionis non habuit, quam ubi accepit, forma confusionis (liceat ita vocare,) cessavit. quod autem de terrâ illâ, idem de materiâ, cujus in altero loco mentio fit, intelligendum. (3) Pater hoc ipsum ex materiæ primæ descriptione. Dicunt enim esse subjectum uniuscujusque rei ex quo fiat aliquid &c. estne autem moles primæva subjectum omnium rerum? constantne ex illâ corpora naturalia? resolvuntur in illam? Neutiquam: ubi enim amplius in mundo illa indigesta moles? sanè nupiam: Tempore creationis à Deo assumpta est, tanquam medium productionis corporum naturalium post creationem sub formâ illâ esse desiit.

Contrarium autem Script. S. docere inter multa alia, hæc paucula satis superque probant. Nempe dicit S. S. Deum in initio creasse cælum & terram: quis autem putaret cælum vel terram fuisse principium aliquod materiale, quod privationem in se habuerit, è quâ omnia postmodum provenerint? Integrum enim corpus fuisse certum est. Dicit S. S. Deum dedisse corporibus corruptibilibus facultatem multiplicandi sese; quod fieri non potest nisi producendo animam & corpus, s. formam & materiam, idque mediante semine, ex quo etiam nascuntur, quæcunque in universo hoc mundi theatro nascuntur. Nil igitur opus tali materiâ primâ: sed semen omnibus generationibus subjicitur. Dicit denique S. S. hominem (ut & alia omnia) in terram reversurum esse: quod de terrâ propriè dictâ, nullo autem modo de materiâ primâ accipiendum est. Si quid de ultimâ resolutione hic objiciunt, nihil quicquam proficiunt, adeoq; laterem lavât. Tunc enim fit ultima corruptio, cum in quatuor elementa resolvuntur mixta. *Sed his tenuibus disputationibus omissis, inquit Phil. Melanth, teneamus quod verum & certò comprehensum est, prima cor-*

pora simplicia esse cœlum & quatuor elementa, ac deinceps mixta ex elementis extrinamus, nec curiosè aliam materiam priorem quæramus.

Artic. II. Reclamantem proponens Naturam.

Quod si porrò ad Naturam ipsam, tanquam unicam controversiarum physicarum normã, mentis nostræ aciem converterimus, eam quoq; huic assertioni contrariam esse, nec talem admittere materiam, deprehendemus. Hoc autem, ut eò melius fieri possit, ante omnia, quæ ab ipsis, pro firmandâ thesi suâ in medium fuere prolata, resumemus: post alia quædam ex naturâ rei ipsius desumpta, subtexemus.

Punct. I. Continens Argumentorum contrariorum refutationem.

Cum itaque ipsorum Argumenta paulò accuratius nobiscum pensitamus, ea non adeò magni momenti, sed exigui valoris esse videmus. Nam quod primo loco Conimbricenses, & cum iis quamplurimi alii adducunt, sumtum à transmutatione Elementorum, falsâ nititur hypothesi: nondum enim probatum Elementa inter se transmutari, nec potest etiam probari, quippe quod in rerum naturâ fieri nequit, ob multas rationes, de quibus alibi agitur. Hoc quidem constat aquam in vapores abire, sed anne hi vapores aër vel ignis? N. nihil enim aliud sunt, quàm aqua resoluta, unde etiam in eandem postea redeunt: falsum igitur per æquè falsum probant, adeoque nihil probant.

Ad 2. resp. Materiam probari, non primam. Illa in omnium generatione datur, hæc nunquam observata fuit; Consideremus omnium rerum, brutorum, plantarum, mineralium hominumque generationes, & videbimus illas omnes

mnes pro subjecto materiam (uti vocant,) secundam habere, semen scilicet, quod est corpus: non autem materiam primam. Sic quoque in corruptione subjectum deprehenditur materia secunda, id quod iterum ex omnium mistorum corruptione liquidò constat. Quid? quod generatio & corruptio in omnibus corporibus naturalibus non datur, (corpora enim simplicia nec generantur, nec corrumpuntur,) adeoque exinde materia prima, quæ sit subjectum cuiusque rei demonstrari non potest.

Ad 3. resp. Analogiam illam longius esse petitam, indeque, sicut omnes à simili aliquo desumptæ argumentationes, nihil probare. Ad fundamentum verò, cui innititur, nempe canonem hunc Metaphysicum: Dato uno oppositorum datur & alterum: notandum, non semper dato uno oppositorum reipsa quoque alterum dari, sed satis esse, si quis mente hoc ipsum concipiat. Sic datur bonum transcendente, ergone etiam malum transcendente dabitur? Datur ab æterno ens simplicissimum, ergone etiam tale ens, quod summam habuit compositionem? Datur pax, ergone etiam reipsa datur bellum? N. e. c.

Ad 4. Resp. Nos sano sensu totum admittere posse: nam in compositione materiam dari, omnino necessarium est, nec ab ullo unquam negatum fuit, interim materiam primam illi nondum probarunt. Nec metuendus est ille, quem nimiam timiditate fingunt, progressus in infinitum. Habemus enim materiam simplicem, ad hanc ubi ventum est in resolutione corporum naturalium, acquiescendum, nec ulterius aliqua materia sollicitè inquirenda est, siquidem illa superiorem non agnoscit.

Ad 5. Resp. Hanc rationem parum firmiter procedere. Nam juxta Scaligerum exerc. 101. dist. 15. & juxta rei ipsius veritatem, aliquid crescit hoc pacto. Nempe alimentum assumptum mutatur in substantiam corporis materialem, formamque suscipit, ut fiat ac sit pars corporis animati; atque sic

pora simplicia esse cœlum & quatuor elementa, ac deinceps mixta ex elementis extruamus, nec curiosè aliam materiam priorem queramus.

Artic. II. Reclamantem proponens Naturam.

Quod si porrò ad Naturam ipsam, tanquam unicam controversiarum physicarum normam, mentis nostræ aciem converterimus, eam quoq; huic assertioni contrariam esse, nec talem admittere materiam, deprehendemus. Hoc autem, ut eò melius fieri possit, ante omnia, quæ ab ipsis, pro firmandâ thesi suâ in medium fuere prolata, resumemus: post alia quædam ex naturâ rei ipsius desumpta, subtexemus.

Punct. I. Continens Argumentorum contrariorum refutationem.

Cum itaque ipsorum Argumenta paulò accuratius nobiscum pensitamus, ea non adeò magni momenti, sed exigui valoris esse videmus. Nam quod primo loco Conimbricenses, & cum iis quamplurimi alii adducunt, sumtum à transmutatione Elementorum, falsâ nititur hypothese: nondum enim probatum Elementa inter se transmutari, nec potest etiam probari, quippe quod in rerum naturâ fieri nequit, ob multas rationes, de quibus alibi agitur. Hoc quidem constat aquam in vapores abire, sed an hi vapores aër vel ignis? N. nihil enim aliud sunt, quàm aqua resoluta, unde etiam in eandem postea redeunt: falsum igitur per æquè falsum probant, adeoque nihil probant.

Ad 2. resp. Materiam probari, non primam. Illa in omnium generatione datur, hæc nunquam observata fuit; Consideremus omnium rerum, brutorum, plantarum, mineralium hominumque generationes, & videbimus illas omnes

omnes pro subjecto materiam (uti vocant,) secundam habere, semen scilicet, quod est corpus: non autem materiam primam. Sic quoque in corruptione subjectum deprehenditur materia secunda, id quod iterum ex omnium mistorum corruptione liquidò constat. Quid? quod generatio & corruptio in omnibus corporibus naturalibus non datur, (corpora enim simplicia nec generantur, nec corrumpuntur,) adeoque exinde materia prima, quæ sit subjectum cuiusque rei demonstrari non potest.

Ad 3. resp. Analogiam illam longius esse petitam, indeque, sicut omnes à simili aliquo desumptæ argumentationes, nihil probare. Ad fundamentum verò, cui innititur, nempe canonem hunc Metaphysicum: Dato uno oppositorum datur & alterum: notandum, non semper dato uno oppositorum reipsa quoque alterum dari, sed satis esse, si quis mente hoc ipsum concipiat. Sic datur bonum transcendente, ergone etiam malum transcendente dabitur? Datur ab æternis simplicissimum, ergone etiam tale ens, quod summam habuit compositionem? Datur pax, ergone etiam reipsa datur bellum? N. e. c.

Ad 4. Resp. Nos sano sensu totum admittere posse: nam in compositione materiam dari, omninò necessum est, nec ab ullo unquam negatum fuit, interim materiam primam illi nondum probarunt. Nec metuendus est ille, quem nimiam timiditate fingunt, progressus in infinitum. Habemus enim materiam simplicem, ad hanc ubi ventum est in resolutione corporum naturalium, acquiescendum, nec ulterius aliqua materia sollicitè inquirenda est, siquidem illa superiorem non agnoscit.

Ad 5. Resp. Hanc rationem parum firmiter procedere. Nam juxta Scaligerum exerc. 101. dist. 15. & juxta rei ipsius veritatem, aliquid crescit hoc pacto. Nempe alimentum assumptum mutatur in substantiam corporis materiale, formamque suscipit, ut fiat ac sit pars corporis animati; atque sic

corpus acquirit novam magnitudinem per novæ partis ad-
junctionem. Quis hic non videt ipsum alimentum has su-
stinere mutationes, adeoque nulla opus esse materiâ primâ?

Deniq; 6. probatio Piccolominei de contrarietate prin-
cipiorum, fatente ipso Zabarellâ, nullam ex naturâ rei du-
ctam rationem includit, imò nulla est. Vel enim loquitur
de contrarietate verâ, ac propriè ita dictâ, atque sic falsum
est principia esse contraria, cum secundum communem phi-
losophorum regulam substantiæ nihil sit contrarium: vel
intelligit oppositionem privativam, & sic aliam *ἰσοπέριον*
falsam ex aliâ falsâ probare conatur. Hæc itaque eorum
fundamenta corruere; si quæ præterea adducunt, non ma-
joris imò multò minoris sunt firmitatis, unde prolixam re-
futationem non merentur.

Punct. 2. Continens rei ipsius, per defini- tionem significatæ, rejectionem.

Cùm porrò rem ipsam, quam per definitionem suam
nobis ob oculos ponere volunt, consideramus, in totâ re-
rum naturâ tale quid nec dari nec dari posse animadverti-
mus. Dicunt enim materiâ hanc primam esse subjectum
cujusque rei, omniaque ex eâ fieri: at Natura materiæ, (ut
vocant,) secundæ hoc ascribit, hanc dicit esse subjectum cu-
jusque rei, ex hac omnia constitui indice quasi digito mon-
strat. Dicunt illi in materiâ primam omnia resolvi:
Natura verò in quatuor elementa, ex quibus composita sunt,
eorum resolutionem fieri docet. Nec est, quod de ultimâ
resolutione hîc iterum nobis objiciant. Nam, ut ex supra-
dictis constat, & petitionem principii committunt, & quod
nondum aliquis observavit, nedum certò cognovit, pro re
immutæ veritatis nobis obtrudere laborant. Anne enim
Natura semper dividit aut resolvit corpora? nonne reso-
lutione aliquâ factâ iterum conjungit minima minimis, no-
vum-

vumque corpus fabricari incipit? Aut igitur sententiam suam tanquam falsam rejicere, aut contra Naturam ipsam disputare cogentur, quorum utrum sit absurdus, ipsi videntur.

Punct. 3. continens adjunctarum qualitatum destructionem.

Sicuti autem rem ipsam Natura non admittit, ita nec qualitates, quas ei vulgò attribuunt, corpori naturali competere possunt, id quod patet. Nam quod (1) quidam eam ortus & interitus expertem faciunt, id si simpliciter intelligatur, prout ipse intellexit Aristoteles, oppidò falsum est, nec ulteriori refutatione indiget, cum omnia corpora naturalia ortum atq; interitum suum habeant. 2. Si autem ita explicant, quod sit ingenerabilis & incorruptibilis, (quæ secunda erat affectio,) Resp. concedendo illam neq; generabilem neque corruptibilem esse, cum ne sit quidem: non entis autem nullæ sunt affectiones. Quod verò per accidens eam generari & corrumpi dicunt, h. e. esse subjectum generationis & corruptionis, non procedit, ut paulò ante demonstravimus. (2.) Porro materiam primam informem esse dicunt, appetere autem omnes formas. Sed quis non videt absurdà planè ratione materiæ hunc appetitum attribui? Appetitus cognitionem sequitur, cum ignoti nulla cupido. Cognoscit ergò materia formam. Liceat ex Scaligero paucula huc ascribere, quippe qui omnium optimè hac de re sentit. *Falsum, inquit, materiam appetere formas: ad hunc enim modum omnes materiæ excitarentur ad appetitionem formæ vel humanæ vel cælestis, id quod quam sit ridiculum, nedum absurdum, non est difficile demonstrare, quia is appetitus esset frustra, at in Natura nihil frustra.* Et paulò post. *Si appeteret, (materia sc.) formam meliorem, appeteret tantum unam formam, at eam jam habet.* Adhuc, addit, appete-

ret omnium formarum ignobiliorum interitum, idq; per se.
Non enim per se potest appetere meliorem, nisi per se appetat pri-
vationem deterioris. Postremò videmus non esse verum evi-
dentissimis exemplis Naturæ. Namq; ex homine oriuntur ver-
mes: appetebat mirifico appetitu materia prima scilicet exuere
sese formâ hominis, ut foetidissimi cadaveris delicias nancisce-
retur, à quibus indueret vermis & faciem & formam. Utinam
iidem isti dicant vermem esse homine potiozem! Non est in
materiâ iudicium ad formarum electionem. Qui materiam
condidit, voluit sua quamq; cuiq; acquiescere, neq; posuit appe-
titum in materiâ mutationis, sed perfectionis tantum: perfici-
tur autem sub qualibet formâ qualibet pars, & tota sub omni-
bus. Vid. exerc. 61. dist. 1. Unde cum eodem d. 1. & exerc. 17.
hoc membrum hisce verbis concludimus. *Nugæ illæ sunt in
animis otiosorum disputatorum educata, inscitia soboles, a-
lumna pertinaciæ atq; supinitatis.*

(3) Quantitas illa, quam nec re nec ratione ab eâ se-
parabilem, nec definitum habere terminum dicunt, mon-
strum est in natura. Est enim quantitas accidens; & pro-
pterea si non reipsâ, certe tamen operatione mentis nostræ à
subjecto suo separari potest. Nulla etiam infinita datur
quantitas: nihil enim præter solum Deum est infinitum. Hic
autem omnis quantitatis expers.

(4) Potentia particularis, quam ratione certarum
formarum ei attribuunt, accidens est, fatente ipso Toletò l. 1.
quæst. 14. c. 8. quid autem absurdius, quam formam, quæ sub-
stantia est, oriri ac produci ex accidente.

Possent adhuc multa alia, quibus hæc illorum doctrina
destruatur, in medium afferri, quod sc. (1) materia prima non
sit res sensibilis, quæ physico juxta illos est proposita; imò
nec intelligibilis, cum intellectus sequatur rei veritatem,
adeoq; intelligi non possit, quod verè non est. (2) Quod
ex non substantia non possit oriri substantia. (3) Quod et-
iam cœlum talem materiam habere non possit, (quippe
quod

quod alias foret corruptibile;) cum tamen dicant esse illam subjectum cujusque rei: Et quæ alia; verum brevitatis ergo ea mittimus, & tamdiu nostram tuemur sententiam, donec aliquis supra adducta vel falsa, vel cum illorum opinionione non pugnantia ostenderit, quod tum demum futurum spero, cum jam

In caput alta suum labentur ab æquore retrò

Flumina, conversis Solq; recurret equis.

Terra feret stellas, cœlum findetur aratro,

Unda dabit flammæ, & dabit ignis aquas. Ovid. l. i.

Trist. Eccl. 7.

SECTIO POSTERIOR.

Nostram proponens sententiam.

Tit. I. De definitione Materiae.

Vidimus hæctenus dissentientium de hoc principio sententiam, restat ut eorum, quibuscum & nos facimus, paucis subjungamus. Sic itaq; nec materiam hanc describimus: Materia est causa interna corporum naturalium, ex quâ illa constituuntur. Definitionem hanc resolvimus in genus & differentiam specificam. Genus est causa interna. Causa est, quia realem habet influxum in esse causati, quæ est definitio causæ: cui autem definitio, eidem & definitum competit. Quæ hic à quibusdam objici solent, (utpote materiam non esse ens actu, sed potentiâ, ex Arist. l. i. de generat. c. 3. & alibi. 2. esse non ens, ex Platone, qui passim ita eam vocet. 3. Illam non agere, sed tantum pati, cum tamen omnis causa agat, nec causa esse possit, nisi agat. Scal. de plantis p. 293. & Exerc. 307. s. 27. p. 977.) materiam ex numero causarum exturbare non possunt. Nam quod primum & secundum atinet, Resp. de materiâ primâ hæc dicta esse, ideoque nostræ sententiæ nihil derogare, quamobrem etiam iis, qui illam de-

C

fen-

ferunt, hæc refutanda relinquo. Nostra sanè materia est verum ens, idque actu existens. Ad 3. resp. falsum esse materiam tantum passivè se habere, id quod patet ex distinctione vocis actionis. Dupliciter enim illa accipi solet 1. generaliter. 2. specialiter. Cum specialiter sumitur notat influxum effectivum, & sic soli efficienti competit. Ubi verò generaliter accipitur, quemvis significat influxum. Atq; sic materiæ etiam actio deneganda non est, quia verè aliquid agit in corpore naturali constituendo.

Differentia sumitur à ratione formali hujus causæ, quam particula Ex denotat. Notandum autem hoc loco, vocem illam sumi vel latè vel strictè, seu propriè & impropriè. Latè sumendo tribuitur non solum materiæ, sed etiam 1. causæ efficienti. Sic Judæi dicuntur esse ex Diabolo: illi autem, qui verbum Dei audiunt, ex Deo. Joh. 8. 2. causæ finali, ut in illo vulgari: ex eo edimus, h. e. propter hunc finem, ut vivamus, non vivimus, ut edamus. 3. causæ formali, ut cum compositum dicitur constare ex formâ & materiâ, (Libr. 1. Phys. Aristotel. c. 7. text. 65.) 4. Significat totum, ut cum dicimus: guttula ex mari: versus ex Virgilio Bucolicis &c. 5. notat terminum à quo. De quibus significationibus Vid. Dn. Scheiblerum in Log. part. 2. c. 4. p. 252. Et in Metaph. l. 1. c. 22. tit. 14. art. 2. In strictâ verò & propriâ significatione soli competit materiæ, ejusq; nota adæquata poni solet, & hoc modo nos etiam illam acceptam volumus.

Tit. 2. De divisione ejusdem.

Definitionem excipit divisio. Hæc varia esse potest, pro diverso ejus considerandi modo. Alia enim est materia remota, alia proxima. Remota est, ex quâ res proximè non constituitur, sed mediante aliâ propinquiore, ut elementa hominis. Proxima est, ex quâ res proximè & immediatè

diatè constituirur. Sic corpus organicum est materia proxima hominis. Præterea alia materia est immanens, alia transiens. Illa est, quæ in composito manet secundum eandem speciem & formam. Sic corpus organicum est materia animalis. Hæc est, quæ ut compositum constituat, transit quasi ex esse suo, in esse aliud; vel ex quâ mutatâ res componitur, ita semen est materia transiens hominis, animalium. Verùm nos his distinctionibus quasi præsuppositis de materiâ proximâ atq; immanente agimus, quoniam ea sola constitutionis est materia. Hanc ergò cum Excellentissimo Dn. Præsidente dicimus esse vel simplicem vel compositum. Simplicem vocamus, quæ est pura materia, cujusque essentiam nulla ingreditur forma, qualis materia in omnibus corporibus simplicibus reperitur, utpote igne, aqua &c. si scilicet ex se & suâ naturâ spectentur. Compositum nominamus illam, cujus essentiam tam forma, quàm materia ingreditur, qualis materia est omnium mistorum. Hæc enim cum consistit multis corpusculis, quorum quodlibet formam suam admittam habet, sequitur non nudam esse illorum materiam, sed integrum corpus. Interim materiæ potius quàm formæ rationem habet, quia formæ certæ subjicitur, & sic demum certam mundi speciem constituit. Sic materia hominis multas includit formas. Formam scilicet ignis, formam æris, aquæ & terræ: quia verò omnes hæc formæ sub animæ humanæ sunt dominio, materiæ naturam induunt, & cum animâ humanâ certam speciem, hominem scilicet, constituent.

Atque hæc de hac ipsâ materiâ sufficiant, quæ quemadmodum simplici veritatis amore, absque ullo contradicendi, aliorumq; autoritati detrahendi studio proposita sunt, ita etiam non dubito, quin omnes cordati lectores ea omnia in meliorem partem sint interpretaturi.

Δόξα τῷ Θεῷ.

...constituitur...
...sunt homines...
...sunt...
...speciem...
...excellentia...
...ita solum...
...nos...
...ximus...
...nisi...
...de...
...vobis...
...grecum...
...quibus...
...sunt...
...in...
...trans...
...multis...
...sunt...
...ingrui...
...torem...
...tunc...
...multas...
...itaque...
...manet...
...una...
...una...

...Ad...
...pro...
...di...
...ita...
...omn...
...prim...

...in...



b
x
a
r
t
i
c
l
e
s
u
n
d
e
r
t
h
e
a
u
t
h
o
r
i
t
y
o
f
t
h
e
u
n
i
v
e
r
s
i
t
y
o
f
h
a
l
l
e

05 A 2061


ULB Halle 3
003 784 851



64,







DISSERTATIO PHYSICA
De
**MATERIA COR-
PORUM NATURA-
LIUM.**

Quam
Auxiliante divini Numinis gratiâ,

Sub Presidio
VIRI
Amplissimi atq; Excellentissimi

Dn. M. JOHANNIS Sperlings /
PHYSICÆ PROFESSORIS PUBLICI
CELEBERRIMI,

Dn. Præceptoris ac Promotoris sui omni ob-
servantiæ cultu ætatem colendi,

Publicè eruditorum examini
subjicit

OTTHO FLORUS, Holsatus.
A. & R.

In Aroaterio Majori ad diem 7. Julii
horis matutinis.

WITTEBERGÆ

Literis exscribebat Johannes Röhnerus, Acad. Typogr.
M. DC. LII.